



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Vxor mala viro dat occasionem, vt se virum ostendat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

IV.

Ephes. 5. 23.

Gen. 3. 16.

Iob. 2. 10.

Sur. 25. Octobris.

Quartò si quis in viperam incidit, si mulierem nequam duxit, cui alligatus est, tum enimvero campum habet, in quo se ostendat virum esse, hoc est, *caput mulieris*, cui dictum est: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Qua autoritate vsus Iob dixit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es*. Tale dominium apparuit in Saturo martyre, quem Christiani nominis causa in vincula datum, inter varias tentationes, etiam hoc ariete oppugnatum legimus. Vxor illi erat non Christiana: hæc vnà cum liberis ante oculos illius adducta, non tam verbis, quàm lachrymis perorabat. Quanquam neque verba loquacissimæ feminae deerant. Itaque vxore flente, & liberis plorantibus dixit fortissimus Martyr: *O laquei diaboli, nequam me diligis, sed pessimè odisti, & veram mihi mortem parati inferre. Faceffe igitur hinc, neq, enim te noui, neq, vocem tuam audio, sed vocem illius, qui dixit: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Pari constantia Thomas Morus vxorem suã ad carcerem venientem refutauit. Hi ergo omnes, non tam fortiter vicissent, si non vicissent vxores malè suadentes. Quæ victoria tanto illustrior est, si etiam à bonis vxoribus, contra malos maritos obtineatur. Est enim in imbelli sexu admirabilior, quàm in viris, fortitudo.

V.

Quintò, præbent infausta coniugia magnam patientiæ exercendæ occasionem. Noui piam matronam, quæ adhuc virgo, amore aliquid pro Christo, & pro peccatis suis patienti, sæpè Deum rogauit, vt sibi maritum daret, à quo mala multa sustineret. Impetrauit sanè, & quidem otiosum, vinulentum, vagum, mendacem, verbis insuper & verberibus illam sæpè largiter excipientem. Eam cum alij, cum ego consolaretur, semper respondit, *sibi solatio opus non esse; immo hanc ipsam sibi viri importunitatem maximo solatio esse: habere se beneficij diuini loco, quod in occasionem patientiæ ipsa petijisset*. Scio, paucas esse, quæ talem à Deo maritum postulent. Saltem si talem vel non peticum fortianur, discant ferre patienter, ac de necessitate

virtutis